

Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.

Zu der

Dienstag den 18. März und Mittwoch den 26. März stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

WILHELM

am 22. März 1862

ladet

im Namen des Lehrer-Collegiums

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein


Professor Dr. Julius Sommerbrodt,
Director.


Inhalt: 1) Quaestionum Tullianarum specimen. Ser. Dr. Otto Heine.
2) Schulnachrichten vom Director.



POSEN,


gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.





1852

2



Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.

Zu der

Dienstag den 18. März und Mittwoch den 26. März stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

WILHELM

am 22. März 1862

ladet

im Namen des Lehrer-Collegiums

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

Professor Dr. Julius Sommerbrodt,
Director.

Inhalt: 1) Quaestionum Tullianarum specimen. Ser. Dr. Otto Heine.
2) Schulnachrichten vom Director.



POSEN,

gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

Techn. univ. Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin.

Nr. der

Dienstag den 16. März und Mittwoch den 22. März stattfindenden

Öffentlichen Prüfung aller Klassen

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

WILHELM

am 22. März 1882

m. 364902

im Jahre der Lehrjahre

alle Beschäftigten, Kömmer nach Freunde des Schutzens

Professoren sind

Professor Sommerhoff



1) Commission zum Jubiläumstag
2) Fachkommission zum Jubiläumstag

POSEN

Veranstaltung des Königs, Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin

QUAESTIONUM TULLIANARUM SPECIMEN

scripsit

Otto Heine.

Cum Cicero Tusculanas disputationes vere anni quadragesimi quarti a. Chr. n. scribere coepisset, id quidem consilii habuit, ut fundamentis philosophiae moralis universae quinque libris de Finibus expositis res ad beate vivendum maxime necessarias totidem libris aperiret (de div. II c. 1), sed quas causas tractaturus et quo ordine singulis libris quaestiones divisurus esset, accuratius nondum constituerat. Itaque cum in tertii libri exitu, quae partes aegritudini subiciantur, fortuito commemorat, hanc rem alio loco se fortasse tractaturum addit, et in libro quarto, quo hanc rem ipsam fusius exponit (30, 64), sive casu, inquit, accidit sive consilio, percommode factum est, quod eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore primo et proximo die disputatum est. Cum vero ille magis studeret, ut cives suos ad philosophiae studia excitaret, quam ut primos sapientiae fontes aperiret, magis ut lectorem et doceret et oblectaret, quam ut veritatem ipsam limaret, non enixe Graecorum philosophorum libris operam dedit, sed partim ea, quae dudum cognoverat et aliis libris iam exposuerat, denuo tractavit, partim ex graeco aliquo libro, potissimum ex Stoicorum scriptis, argumenta delibavit, ut verba tantum adferenda essent (cfr. ad Att. XII 52, 3). Velut de quibus in primo Tusculanarum disputat, pleraque iam de senectute c. 19 s. et in consolatione sua (Tusc. I c. 27), partim etiam in Hortensio (cfr. Tusc. I c. 30 et fr. Hort. p. 285 ed. Schuetz.) explicaverat, atque Platonis Phaedone et apologia et quibusdam Panaeti libris lectitatis dudum percepta habebat, neque minus quinto libro virtutem ad beate vivendum se ipsa contentam esse eisdem, quibus iam in libris de Finibus usus erat, argumentis comprobavit. Caveamus tamen ne eum ubique Graecos philosophos sic ad verbum expressisse putemus, ut in parte aliqua libri I. de natura deorum Phaedri Epicurei *περὶ θεῶν* vertit. Ille potius cum initio librorum aut varias philosophorum sententias sive de anima, ut in I Tusc. disp., sive de natura deorum enumerat, aut strictim Stoicorum argumenta concludit, vertisse de Graecis videtur, tum vero latius evagatur, atque rem sententiis complurium philosophorum usus, adiectis cum cogitationibus quibusdam suis tum exemplis fusius pertractat. Sed cum nimis festinanter ageret, neque principia philosophiae ipse acriter perspexisset, neque explicandis eis se lectoribus iucundum fore existimaret, non mirum est eum, cum in res difficiliore atque spinosiores incidere, argumenta potius perturbasse quam explanavisse. Velut Tusc.

disp. I 10, 22 Aristotelis ἐντελέθειαν cum ἐνδελεχεία confundit eique Stoicorum quandam sententiam imputat. I 17, 40 Platonis de immortalitate animi praeceptum probaturus Stoicorum rationes affert, qui cum animum sive ignem sive aera esse docerent, diu mansuros animos aiebant, semper negabant. I 24, 57 de Platonis ideis et recordatione vitae prioris haud perspicue disserit et Platonice aliena admiscet. III 10, 23 s. inter Stoicorum morbos (νοσήματα) et aegrotationes (ἀρρωσθήματα) nec recte distinxit nec quid interesset ipse satis intellexisse videtur. Idem vero vituperandus est, quod interdum quasi in gyrum vertitur atque de eadem causa iterum atque iterum loquitur, velut cum I c. 5 s. mortuos non esse miseros, quia omnino non sint, disputat; neque minus vituperandus est, quod saepe exempla affert, quae ad rem illustrandam minime pertinent, velut I 24, 59. 30, 74. III 20, 48.

Sed ne ad sermonem quidem horum de philosophia librorum Ciceronem tantam curam et diligentiam quantam ad orationes conscribendas adhibuisse inter omnes constat. Nam et divulgavit eos, priusquam satis perpolivit, et iam divulgatis atque descriptis quaedam mutare studuit: id quod in ep. ad Att. ipse dicit XIII 21, 4: *scripsit enim Balbus ad me se a te quintum de Finibus librum descripsisse, in quo non sane multa mutavi, sed tamen quaedam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus et ζῶλα Brutus.* XVI 3, 1 *sed tamen idem σύνταγμα nisi ad te retractatius et quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum et reffectum.* Itaque Tusc. disp. I 45, 108 *Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis non neglegendus in nostris, ita tamen ut mortuorum corpora nihil sentire vivi sentiamus. Quantum autem consuetudini famaue dandum sit, id curent vivi, sed ita ut intellegant nihil id ad mortuos pertinere:* quod nec quae causa interpolandi fuerit nec quid interpolatum sit, satis apparet, nec turpissimam tautologiam Ciceronem consulto fecisse credendum est, Wesenberg emendat. M. T. Cic. Tusc. disp. Viburg. 1841, 43, 44. II p. 33 censuit verba *ita tamen — sentiamus* cum ipse Cicero delere oblitus esset, non omisisse librarium illum, qui eum codicem scripsisset, a quo non emendato archetypus nostrorum codicum derivatus esset. Itemque aliis locis diligentem operis retractationem desideramus, velut IV 11, 25 *Similiterque ceteri morbi ut gloriae cupiditas ut mulierositas, ut ita appellem eam, quae Graece φιλογύναια dicitur, ceterique similiter morbi aegrotationesque nascuntur.* Et paulo infra, quamquam iam per duo capita animi et corporis morbos comparavit, quasi nunc demum eam rem aggressurus sit, Cicero dicit: *atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus eaque collatione utamur aliquando.* Porro III 21, 51 *si maxime verum sit ad corpus omnia referre sapientem, sive, ut honestius dicam, nihil facere nisi quod expediat, sive omnia referre ad utilitatem suam* postrema verba sive omnia cet. inanem tautologiam habent, quam tamen ipsi Cicero tribuere non dubito. Idem III 17, 36 verba *a me quidem paulo ante appellata frugalitas* ita inserit, ut prorsus oblitus sit, se totam hanc orationem Platoni aut Socrati tribuisse: attamen haec verba ita pronuntiantur, ut ab interprete ea margini adscripta et in textum inculcata esse veri simile non sit. Huius generis aliquot exempla in augurali mea dissertatione congessi. Potissimum vero anacoluthorum gravissimorum multitudo Tusculanas disputationes etiam negligentius conscriptas esse, quam alios de philosophia libros demonstrant. Itaque erant, qui plurima, quae ita in codicibus nostris tradita sunt, ut cum dicendi et scribendi legibus pugnent, non libriorum sed Ciceronis negligentiae tribuerent, quin etiam non per festinationem sive quod animo alienis rebus occupatus erat, eum neglegenter scripsisse contenderunt, sed consulto, quo magis dialogum ad sermonis quotidiani gratam negligentiam accomodaret. Hi quae grata negligentia, quae non sit, suum habeant iudicium; Cicero quidem eas leges ornate et apte dicendi, quas

in orationibus secutus est, se in his libris non deposuisse ipse satis confirmat. cfr. Tus. disp. I 4, 7. II 3, 7. de off. I 1, 3.

Tum vero codices nostros admodum corruptos et mendorum omni genere inquinatos esse nemo negaverit, qui paulo accuratius eos inspexerit. Saepe exciderunt singula verba iam in principali illo codice, a quo omnes nostri manaverunt, saepissime verba similia confusa sunt, saepe terminationes vocabulorum temere immutatae, saepe interpolationes Ciceronis verbis admixtae sunt (v. Tregderum in praef. edit. p. IX s.). Et sane antiquas esse has corruptelas iam inde apparet, quod ut in aliis Ciceronis libris (v. Madvig de fin. p. XXI. Wesenberg l. s. II p. 50 an.) ita in Tusculanis disputationibus Nonius interdum eadem menda habet, quae codices nostri. Velut IV 31, 66 et codices et Nonius p. 444 exhibent: *ut confidere decet, timere non decet*, ubi sententia et ea, quae 6, 13 dicta sunt, ut vel *cavere* vel *providere* scribatur postulant. (v. Philol. XV p. 679). III 5, 11 *inconstantiam* pro *constantiam*. V 31, 87 *nemo est enim, quin eorum bonorum*, ubi scribendum esse *nemo est enim eorum, quin bonorum* recte docuit Wesenberg I p. 21. Aliaque multa menda in Noni codicibus fuisse videntur, quibus nostri vacant. Sed ne interpolationibus quidem, quibus nostri codices laborant, illos prorsus vacasse ostendit IV 1, 16 *malevolentia laetans malo alieno*, de quo loco infra sum dicturus. — Sed in nostris codicibus glossemata vel margini vel supra lineam adscripta effecerunt, ut textus quaedam verba exciderent, quorum in locum ipsa reciperentur. Nam III 31, 76 codices habent: *sunt qui non magnum malum ut Peripatetici, sunt qui abducant a malis ad bona ut Epicurus, sunt qui satis putent ostendere nihil inopinati accidisse nihil mali*. Extremis verbis Cyrenaicos significari § 28, 31, 52 satis ostendunt, qui mala esse ea, quae aegre ferre solemus, non negabant, sed aegritudine affici neminem dicebant, nisi cui inopinatum quid accidisset: quare *nihil mali* loco non convenit et vocabulis *nihil inopinati* superscriptum fuisse videtur. Contra ut relicuorum praeceptorum auctores ita Cyrenaicos commemorari atque *ut Cyrenaici* adici necesse est, idque postquam Bouhier restituit, nemo fere recipere dubitavit. *) De his igitur interpolatis Tusculanarum disputationum locis iam paulo uberius disputaturus sum.

Sane difficile est multis locis diiudicare, num verba, quae redundant, ab ipso Cicerone profecta an ab interpolatore adiecta sint. Cicero enim ut exempla enarrat, quae magis ad oblectandum lectoris animum quam ad rem ipsam illustrandam inserviunt, ita a re proposita saepe digreditur, multis verbis utitur, ubi pauca sufficerent, cogitationes forte incidentes, quae ad rem tractandam vix pertinent, non dubitat inserere. Minime igitur licet reseccare, quaecunque necessaria non sunt. I 16, 36 *In terram enim cadentibus corporibus eisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant relicuam vitam agi mortuorum*. Illud e quo dictum est *humari* ad rem propositam non magis attinet quam, quod III 25, 61 interponitur, *ex quo ipsam aegritudinem λύπην Chrysippus quasi solutionem totius hominis appellatam putat*, sed quin a Cicerone scripta sint, nemini dubium est.

*) Idem factum videmus de leg. I 12, 33 *Unde est illa Pythagorea vox. De amicitia locus*. Ubi miror sane, quod Feldhügel eliminato glossemate de *amicitia locus* abruptam hanc et obscuram orationem sanam esse, neque quidquam desiderari iudicavit, quia tam nota fuerit illa vox, ut solo pronomine posset significari. Neque magis Manuti sententiam probo, quam etiam Halm secutus est, Graecis verbis hanc vocem fuisse relatum. Ubique enim in his scriptis Cicero vertit, quae praecepta vel proverbia sive soluta oratione sive versibus adstricta a Graecis desumpsit. cfr. Tusc. I 8, 15 *scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine*. Itaque etiam hoc loco ut de off. I 16, 51 *ut in Graecorum proverbio est amicorum esse communia omnia* Pythagorae vocem Latine pronuntiasset videtur.

In eadem causa versatur V 34, 98 *Tum is qui illa coxerat: Minime mirum, condimenta enim defuerunt. Quae tandem, inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.* Verba extrema his enim cet. quamquam ad brevitatem illam, qua in respondendo Lacedaemonii usi esse dicuntur, apta non sunt, tamen Bakio adsentiri non possum, qui schol. hypomnem. IV p. 113 ea Ciceroni abiudicat. — Contra cum reputamus, quam formam interpretationes illae habeant, quae scholiastae Bobiensis, commentatoris Gronoviani aliorum nomine extant, quam facile haec glossemata margini adscripta in textum recipi potuerint, quam multa sine dubio irrepperint, etiam alia, quae glossematum speciem minus aperte prae se ferunt, a Cicerone non esse profecta admodum veri simile videtur. Equidem quo saepius Tusculanas disputationes retracto, eo magis Baki multa eliminantis sententiae accedo. Ita V 19, 55 *at Cinna collegae sui consulis Cn. Octavi praecidi caput iussit* Bake l. c. p. 108 *consulis delere voluit.* I 38, 92 *Endymion — ut nescio quando in Latmo obdormivit [qui est mons Cariae] nondum opinor est experrectus* idem p. 80 verba seclusa delevit. II 7, 17 *magna me Hercule laus et eo ipso per quem iuravi, Hercule, digna* idem p. 82 *Hercule* glossam esse recte intellexit. Cuius simile additamentum habes III 32, 77 *Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum [Cleanthes] ipse fatebatur* (v. Bake p. 96), quo loco *fatebatur* scribendum est ex Wesenbergi emendatione *profateatur*. I 43, 104 *Praeclare Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, auferri* cet., num recte ille p. 80 *in patriam deleverit*, magis dubito; neque minus de eis, quae V I, 4 extant: *Sed in hoc me ipse castigo, quod — non ex ipsa virtute de virtutis robore existumo. Illa enim si modo est ulla virtus, quam dubitationem* cet., ubi ille p. 108 *virtus* expellendum iudicat.

Sed de omnibus his locis difficile est eis persuadere, qui neglegentes, quae sit codicum nostrorum condicio, grammaticorum additamenta pro Ciceronianis habere, quam eicere ullum vocabulum malunt, quod forsitan ille scripserit. Neque negari potest Bakium interdum temerius egisse atque delevisse, quae vix desiderari possunt. I 19, 43 *Qui (animus) si permanet incorruptus sui que similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne caelum hoc, in quo nubes imbres venti coguntur.* Bake, quia modo ante dictum sit, necesse feratur animus ad caelum, atque non caelum sed aer perrumpendus sit, *caelum* delere voluit. At neglexit omne hoc, in quo cet. putide esse expressum. Cicero autem omnia, quae supra terram et mare sunt, caeli nomine comprehendit, eaque de causa de summa parte caeli, quae aethera dicitur de nat. deor. II 45, 117 loquitur, et hoc loco addens *hoc, in quo coguntur*, quam partem caeli significet, satis indicavit. cfr. § 60 *hoc nebuloso et caliginoso caelo.* De nat. deor. II 16, 43 *qui utantur crasso caelo et concreto.* — I 22, 52 *Est illud quidem vel maximum animo ipsum animum videre et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.* Bake p. 78 verba quo monet deleri iubet, eumque secutus est Baiter,*) quia dicat quidem Apollo 'nosce te,' sed hoc ipso moneat 'nosce animum tuum.' Sed hanc distinctionem argutiorum esse quam veriore demonstrat de sen. 10, 32 *nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis senex esse.* — I 13, 29 *ipsi illi maiorum gentium dei qui habentur, hinc a nobis profecti in caelum reperientur.* Bakio p. 74 *a nobis* languere videbatur ideoque delendum

*) Iam scripta maiore huius libelli parte accepi Baiteri editionem et adnotatis codicum optimorum scripturis et editoris sagacitate atque diligentia insignem. Itaque usus suam ea, quoad licuit.

censuit et Baitero persuasit. Sed quod I 30, 74 *vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare* et I 41, 99 *sed tempus est iam hinc abire me, ut moriar* legitur, non efficit Ciceronem etiam aliis locis simpliciter *hinc* posuisse. Potius ut *inde* Latini saepe addunt, quo accuratius locum, a quo quid incipiat, indicent (cfr. de nat. deor. II 48, 124 *inde ab ortu*. Liv. I 2, 3 *inde ab initio*. Plaut. Bacch. IV 9, 81 *inde a principio*.), ita ex sermonis familiaris consuetudine *hinc* adiciunt, ubi ab ipso loco dicentis initium fit. Quare Zumptium probo, qui de leg. agr. II 34, 94 *Nos autem hinc Roma, qui veneramus* mutare noluit. Atque cum quaecunque solutae orationis exempla afferuntur, interpolata videri possint, ad Plautum et Terentium provoco. Merc. V 2, 53 *Non longe hinc abest a nobis*. Amphitr. II 2, 227 *abin hinc a me dignus domino servos*. Ter. Andr. IV 3, 19 *ego quoque hinc ab dextera venire me adsimulabo*. IV 4, 20 *Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua*.

Attamen his locis quam causam Bake secutus sit vides, cum aliis locis neque quid falsum vel languidum sit, neque quae causa interpolandi fuerit, appareat: velut I 27, 67 *Ubi igitur aut qualis est ista mens? Ubi tua aut qualis? [Potesne dicere?]*, quo loco attendas primam esse quaestionem ab auditore propositam (v. § 50), quam repetat Cicero eique alteris duabus respondeat. I 31, 77 A. *Qui potest, cum ista cognoverim? M. Qui possit [rogas]*. IV 2, 5 *Qui autem oratores extiterunt! facile ut appareat nostros omnia [consequi] potuisse, simul ut velle coepissent*. V 35, 101 postquam elogium Sardanapalli commemoratum est, verba *Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes idem delenda existimat*.

Sed paucos affero locos, qui temere pro interpolatis habiti sunt, cum prorsus sani sint. V 22, 63 *Quantopere vero amicitias desideraret — declaravit in Pythagorais duobus illis, quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis destinatam* cet. Scheibe in annal phil. et paed. 1860 p. 375 *piore loco mortis ut deleatur* suadet, quia ineptum sit dicere *vadem mortis*, et haec vox ex insequenti *horam mortis* temere hoc loco interposita sit. At eundem vadem Cicero de off. III 10, 45 appellavit *vadem eius sistendi* i. e. qui fidem interposuit, alterum die definita iudici adfore; et Valer. Max. IV 7 ext. 1 *vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitaret*, pro qua voce quin vadem reditus eius dicere licuerit, nemo dubitarit. Itaque ut Cicero de fin. II 24, 79 *vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico* dixit, idem dicere potuit vadem mortis accipere vel se dare i. e. vadem, qui praestat alterum die praestituta mortem non subterfugiturum esse, et ipse mortem subire paratus est, si alter se non sistit. cfr. Pac. Paneg. Theodos. 17 *Pythias et Damon, quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatae mortis accurrit*.

IV 14, 31 *Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt, sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt animorum non item, quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt*. Haec verba cum corrupta iudicaret, Tregder Madvigio auctore verba *non possunt corpora* delevit. At his verbis expulsis cum Cicero dicat illud esse dissimile, quod animi valentes morbo tentari possint, nemo non animo subaudiet 'sed corpora non possint'. Quare Tischer, Baiter, alii Bentlei coniecturam praeferebant *quod animi valentes morbo tentari possunt, ut corpora possunt*. Tum prior sententia, quae ad illustrandam alteram adiecta est, cum subnexa esse debeat, si sententiam respicis, conexa est. Nam id quod dissimile est, altera demum sententia pronuntiatur. Et hanc sententiarum conexione scriptorum Romanorum consuetudini dicendi prorsus convenire multis exemplis docuit Madvig emendat. in Cic. de leg. et Academ. p. 25 s. At quaero, quid afferat

prior haec sententia ad alteram seu illustrandam seu confirmandam seu accuratius definiendam. Cum iam per totum fere librum de animi morbis Cicero dixerit, cur hoc loco quasi novum effatur animos posse ut corpora morbis tentari? Quare *valentes* adiecit, cum simpliciter *animi* dicere satis esset? At vide, ne prorsus sanum sit, quod codices exhibent. Et Stoicorum et Epicureorum erat praeceptum animum valentem i. e. omni aegrotatione et vitio liberatum, qualis sapientis est, in morbum recidere non posse. Diog. VII 127 καὶ μὴν τὴν ἀρετὴν Χρῦσιππος μὲν ἀποβλητὴν, Κλεάνθης δ' ἀναπόβλητον· ὁ μὲν ἀποβλητὴν διὰ μέθην καὶ μελαγχολίαν, ὁ δ' ἀναπόβλητον διὰ βεβαίους καταλήψεις. Epicurus apud eundem X 117 τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφὸν μηδέτι τὴν ἐναντίαν λαμβάνειν διάδρασην, μηδὲ πλάττειν ἐχόντα. De hac sententia etsi uberius Cicero non disserit, quia non de perfecto sapiente disputat, sed de eis, quae vita communis desiderat, tamen identidem eam in Tusculanis disputationibus attingit. II 14, 32 *etsi amitti non potest virtus*. III 5, 11 *quod cum maius esse videatur quam insania, tamen eiusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania*. Cur igitur eandem sententiam h. l. non commemoraverit, ubi ea praecepta, quae consequantur Stoicorum de perturbationibus doctrinam, magis enumerat, quam exponit. Simile est illud apud Senecam ep. 72, 6. *Hoc, inquam, interest inter consummatae sapientiae virum et alium procedentis, quod inter sanum et ex morbo gravi ac diutino emergentem, cui sanitatis loco est levior accessio: hic nisi attendit, subinde gravatur et in eadem revolvitur: sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo est, quam medicus etiamsi reddidit, non praestat, saepe ad eundem, qui advocaverat, excitatur: animus semel in totum sanatur. Et ne illud sed quidem, quod Tischero indicare visum est similitudinem aliquam animi et corporis antea commemoratam esse, ut immutetur necesse est, cum sed saepissime ponatur, ubi ab ea re, de qua tum maxime agitur, ad aliam transitus fit. v. Seyffert schol. Lat. I p. 24.*

Saepius ea, quae pro interpolatis habita sunt, si accuratius inspexeris, alio modo corrupta esse invenies, ut V 24, 68 *Ex quo triplex ille animi fetus existet, unus in cogitatione rerum positus et in explicatione naturae, alter in descriptione expetendarum fugiendarumque verarum ne vivendi, tertius in iudicando cet.* Cum antea scriberetur *fugiendarumque rerum omissis vocibus ne vivendi* Wesenberg I p. 28 in his latere intellexit paraeneticae ethicae commemorationem, scribendumque et *in ratione vivendi*. — I 13, 30 *Multi de dis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur, nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit, non institutis opinio est confirmata non legibus; omni autem in re consensus omnium gentium lex naturae putanda est. Quin ineptum sit aut consensus effecit, dubitari non potest: nam cum eadem sit vis vocabulorum consensus et consensus, (cfr. § 35 quod si omnium consensus naturae vox est. § 36 sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium.) dici non potest: consensum non effecisse consensionem. Hac de causa plerique editores ut Tischer et Baiter deleverunt voces *aut consensus*. At neque vocabulum *collocutio* grammaticum aliquem per *consensum* interpretatum esse, neque hanc vocem, quia duobus lineis sequatur *consensio*, hic interpositam esse admodum veri simile est. Tum vero, — quia proximum membrum bipartitum est (*non institutis — non legibus*) etiam hoc loco duae notiones commemoratae fuisse videntur. Quare, ut Bouhier ante me coniecit, *aut consessus* scribendum iudico. Consessus enim, quod coetum non certis legibus constitutum significat, aptum est, et a Cicerone de leg. II 5, 13, adhibetur: *quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliquas consessu suo sanxerint*. Minime tamen Bakio adsentior, qui p. 74 *sed institutis est opinio confirmata et legibus* scribendum*

iudicat. Nam quod Cicero argumentatur natura nos credere deos esse, hanc ipsam argumentationem tolleret, si ita scripsisset, ut Bake voluit. cfr. de nat. deor. I 17, 44 *Cum enim non instituto aliquo aut more aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus, intellegi necesse est esse deos.*

II 11, 26 *Probe dicis. Sed is (Dionysius) quasi dictata nullo delectu, nulla elegantia; Philo et proprium n̄r et lecta poemata et loco adiungebat.* Hoc, quod optimi codices exhibent, corruptum esse cum pateret, editores plerique e recentioribus codicibus scripserunt *Philo et proprium numerum* vel *Philo noster et proprium numerum*, alii et *proprium* deleverunt, quamquam quae ratio interpolandi fuisset, non poterant explicare. Illud autem *et proprium numerum* duplici ratione interpretati sunt. Alii enim, cum Dionysius quasi dictata decantaret, Philonem putabant proprium versuum numerum sive *ῥυθμὸν* pronuntiatione exprimere studuisse. Quam interpretationem Wolf in scholis iure ineptam dixit. Quis enim statim de decantando cogitat, ubi de dictatis quis loquitur. In illo igitur *quasi dictata* minime inest Dionysium versus neglecto numero decantasse, id tantum indicatur, illum, cum dictata discipulis esset lecturus, non eam scribendi elegantiam et id in eligendis poematis iudicium adhibuisse, quo usus esset, si forte librum fuisset editurus. Et hoc loco cum de libris agatur, non de actionibus, quid attinet commemorare, quomodo quisque versus pronuntiaverit? Tum *proprio numero* scribendum erat, quia praedicatum subauditur *versus adiungebat*. Alii igitur *proprium* i. e. aptum cuique disputationi numerum versuum (die gehörige Zahl von Versen) illum adiecissee censuerunt. Sed ut omittam vel id putide a Cicerone esse expressum, deest in optimis codicibus *numerum*. Ab his igitur profectus levissima mutatione scripserim: *Philo, ut proprium nostri est, lecta poemata et loco adiungebat*; i. e. Philo, quae est propria eius elegantia cet. Philonem, cui magistro aliquando totum se tradiderat Cicero (Brut. 89, 306) etiam de nat. deor. I 40, 113 nostrum appellat. De ipsa locutione cfr. de off. I 1, 2 *quod est oratoris proprium*. ib. 2, 6 *ita propria est ea praeceptio Stoicorum*. Tusc. disp. III 8, 17 *eius enim videtur esse proprium*. ib. 9, 19 *proprium est enim irati cupere*. Qui vero notiones *quasi dictata, nulla elegantia, nullo delectu et proprium numerum, lecta poemata, loco* singillatim inter se oppositae esse possint, id quod Schütz, Tischler, alii iudicant, equidem non video. — Eodem loco sic pergitur: *Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis, sed sicubi illi defecerunt, verti enim multa de Graecis, ne quo ornamento — careret Latina oratio.* — Quia enim loco non aptum est, a plerisque deletur: mihi potius ex *etiam* natum esse videtur. Nam enim et *etiam* saepe confundi exemplis docent Heindorf ad Cic. de nat. deor. I 7, 16. Gernhard de am. 7, 23, de sen. 5, 13. Drakenborch ad Liv. XXXVI 41, 3. Quod Tischler scribendum ratus est *verti ipse multa*, probabile non est, nam et difficilius confunduntur *ipse et enim*, et Graeca Latinis hoc loco opponuntur, non ea, quae ipse vertit Cicero, eis quae alii aut verterunt aut cecinerunt.

II 17, 40 *Consuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur, inde pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Inde, quod Wolf explicavit 'ex hac consuetudine,' ferri non posse satis ostendit Wesenberg II p. 45. Nam primum *inde* ante *pernoctant* collocandum fuit, deinde vel ibi positum et post *consuetudinis magna vis est* male otiosum esset et parum Ciceronianum, qui dixisset aut *inde fit, ut pernoctent* aut *inde pernoctationes venatorum*. Neque tamen eiciendum videtur, ut plerique fecerunt: *nudi*, quod Augustinus coniecit, non ineptum quidem est, sed scribendum iudico *item pugiles* cet. *Item et itemque* saepe in enumeratione rerum aequalium a Cicerone ponuntur, cfr. Hand Turs. III p. 516. — His adiungo



II 26, 62 *Videmusne ut apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab eis — devitari dolorem. Apud quos autem venandi et equitandi laus viget cet.* Anacoluthon hoc, quod multis satis Ciceronianum visum est, ab eius dicendi ratione ego nunc prorsus abhorrere arbitror. Immutat quidem ille interdum inceptam orationis formam, ut praemissis quae sequuntur non satis convenient, sed cum *ut* infinitivum coniungere non potuit, nisi forte complures et longiores enuntiationes interpositae hanc neglegentiam aliquo modo excusabant. Hoc loco *ut* fortasse ex *ne* ortum aut ex *ui* repetitum est (v. Wesenberg I p. 33), sed nescio an ex *et* factum sit, cui pro altero *et* respondet *autem*, celeberrimo anacoluthias genere, cuius multa exempla collegit Madvig ad Cic. de fin. p. 891.

Certissimam autem interpolationis notam quidam habent, si verbum vel nomen aliquod ita positum est, ut contra dicendi consuetudinem cum ceteris non coniunctum sit. Quod etsi saepe significat interpolationem, tamen et ἀσύνδετον interdum non recte vituperatum est, et particulae *tum, que, aut, et* haud raro omittebantur a librariis, praesertim cum similes litterae eas aut exciperent aut eis praecederent. Velut I 14, 31 *quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, elogia significant* etiam Baitero ut monumenta uncis includeret Tregder persuasit. Cui cum ipse ante assentirer, iam a Seyfferto in Mützellii diar. rer. schol. 1861 p. 68 monitus asyndeton iudico nihil habere, quod offendas. Coniunctio enim saepe neglegitur, cum duae eiusdem generis notiones quasi pro exemplo afferuntur, ut simul indicetur vel plura exempla afferri posse. De fin. II 33, 107 *poëma, orationem cum aut scribis aut legis.* Tusc. disp. V 21, 62 *aderant unguenta, coronae.* Cfr. Madvig opusc. I p. 490. Hoffmann ep. sel. Cic. p. 34 et 84. Itaque etiam alii duo loci nescio an sani sint: V 31, 87 *Sequitur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum — nec eam minis, blandimentis corrupta deseret.* III 3, 6 *cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris omnibusque opibus, viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.* Asyndeton enim duarum notionum, quae coniunctae unam magis generalem efficiunt, cum apud Livium frequentissimum sit, ne ex Ciceronis quidem libris adeo elidendum videtur, ut nunc fieri assolet, quamquam saepe etiam coniunctionem addi Wesenberg II p. 10 demonstravit. Liv. XXII 13, 1 *accensum tot indignitatibus, cladibus sociorum.* ib. 61, 3 *cum magnis fletibus, questibus legatos — persecuti sunt.* ib. 3, 5 *confectos iam se labore, opere, exangues tot acceptis vulneribus esse.* v. Weissenborn ad Liv. XXI 28, 2 Beier ad fragm. Scaur. p. 195. Bake de leg. p. 610. Certe quidem nec priore Ciceronis loco cum Tregdero *blandimentis* deleverim, cum corrumpendi verbum *blandimentis* quidem conveniat, sed *minis corrumpi* ne dici quidem possit, nec altero loco cum Baitero *opibus* uncis incluserim.

Sed omissae particulae *et* exemplum affero nondum correctum: III 17, 38 *haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem nec deos extimesceret.* Saepe quidem cum ex duobus conexis membris alterum negatum est, praemisso *et* respondet *neque*, sed hoc loco opponuntur inter se *contentus esset — extimesceret*, et cum secundum membrum bipartitum sit, *mortem — deos*, quare quod praemisso *et* respondeat desideratur et post *esset* adiciendum est *et*. Quamquam enim Hand Turs. IV p. 130 docet adiungi saepe disiunctionem ita, ut in priori *neque* simul insit copulativa vis, cum pro *et neque* positum et per *und weder* reddendum sit, eiusque rei Kritzius auctorem adhibet, tamen exempla allata sunt alius generis; neque id dicit Kritz ad Sall. Cat. 58, 1, sed ubi bis *neque* adhibitum sit, saepe prius *neque* non respondere posteriori, sed pro *et non* positum adnectere sententiam praecedenti, ita ut etiam

alterum *neque* negativam sententiam tantummodo adiungat ad priorem. Cat. 2, 3 *quodsi regum virtus — valeret, aequabilis sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneret.* 11, 3 *avaritia semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur.*

Sed redeo ad eos locos, qui interpolationibus contaminati videntur. Miror Baiterum intactum reliquisse I 40, 97 *Vadit enim in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates.* Cum enim Critiae morte narrata pergatur: *Quis hanc animi maximi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret,* huic interrogationi ea, quae iam de Socrate narrantur, non possunt per *enim* adnecti. Deleverunt igitur *enim* priores editores Boucherio et Klotzio (add. p. 48) exceptis omnes, sed recte Lachmann ad Lucret. p. 133 scribendum censuit: *vadit en in eundem carcerem* cet. — II 6, 16 *Ergo id, quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit, ne se dolorem summum malum diceret, oppositoque dedecore sententia depelleret* cet. Latere in illo *se scilicet* intellexit Bentley, nec Tischero a Klotzio persuaderi debebat, scribendum esse: *ne sedulo dolorem* cet. Sedulus enim, i. e. emsig, is dicitur, qui singula et varia sive agit sive colligit, ut ad finem propositum perveniat, sedulo dolorem summum malum dicere nihil est, nisi forte adverbium principalem suam vim habet, *sine dolo*, ut a Plauto et Terentio (cfr. Donat. ad Ter. Adolph. III 3, 59. Plaut. Capt. IV 2, 6 *quod ego dico sedulo.* Doederlein synonym. lat. I p. 118), non a Cicerone adhibetur. Atque ne hac quidem vi usurpatum huic loco conveniret. — V 37, 106 in optimis codicibus est: *id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda sicuti* (in aliis *sicuti*) paulo ante dictum est. Editores omnes illud *sicuti* omittunt. Et interposuerunt quidem librarii, ut infra ostendam, cum ad sententiae formam non attenderent, saepe particulas *si, ut, nam, autem*, sed propter brevitatem enuntiationis hoc loco aberrandi occasio vix data erat, ac librarius *ut* non *sicuti* interposuisset. Itaque aliud mendum latere videtur, et suspicor *sicuti* ex sapienti esse factum, quod sententiae certe aptum esse quae secuntur § 107 ostendunt: *de sapiente enim haec omnis oratio est.*

Multae interpolationes hanc originem habuerunt, ut librarius singulas litteras vel easdem vel leviter immutatas bis scriberet aut vocabulum praegressum temere repeteret. Rei notissimae pauca exempla affero. I 28, 69 *hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac deorum eorum cultorem atque hominis utilitati agros omnis et maria parentia dudum perspectum est eorum geminatione ex deorum factum esse.* — II 18, 42 *Ego illud, quidquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto, — doloremque omnem esse tolerabilem.* Cum in aliquot codicibus post *doloremque* addatur *eius*, Scheibe in *annal. phil. et paedag.* 1860 p. 374, scribere voluit: *doloremque eius modi* i. e. dolorem talem, qui excitetur falsa visione et specie, cum quod in nos cadit tantum non sit, quantum esse videatur. At eius modi Cicero et Stoicis omnis dolor esse videtur, nec viro forti alius dolor tolerabilis, alius non est. Sed quicumque dolor non ferendus esse videtur, talis videtur propter falsam speciem, cum id, quod incidat, maius esse opinemur, quam re vera est. Atque id quidem Cicero per totum librum defendit. Quare *eius modi* non solum supervacuum, verum etiam falsum est. Neque minus Bentlei *rebus*, quod idem esse vult, quod *revera*, cum tantummodo nostrum sit 'durch Thatsachen,' Lambini *eis*, Orelli *eius metu* vel *eius opinione* partim supervacui partim falsi quid habent. Cum vero in codice Gudiano, uno ex tribus praestantissimis non *eius* legatur sed *eē* id est *esse*, patet aut hoc loco aut post *omnem* librarii errore *esse* temere repetitum, indeque *eius* natum esse.

IV 38, 82 *Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est, — tamen ita ceteros, cum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus; at eos, qui se aegritudini dederunt, miseros. Ita Klotz et Struerenburg p. Arch. 5, 11 defendunt: ita — cum verterunt insofern — als, ut Brut. 62, 222 dicitur Drusum — gravem oratorem ita duntaxat, cum de re publica diceret. de off. I 9, 28 ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium. At ita, si hac ratione interpretaris, cum praedicato commotos coniungendum est, quod iam propter verborum collocationem vix fieri potest. Deinde vero ineptum est dicere: Doch nennen wir die Uebrigen nur in sofern erregt, als sie von Furcht befallen sind, aber die von Bekuemerniss Ergriffenen unglücklich. Cogitatio enim prorsus perturbatur, quae in oppositione vertitur eorum, qui in metu vel voluptate sunt, et eorum, qui aegritudine premuntur, quorum alteri commoti, alteri miseri sunt. Contra si praecedat ita commotos dicimus, sequi debet eos, qui aegritudine premuntur, alia ratione commotos dici. Sed ita, quod ut prorsus deleatur sententia postulat, repetitum esse ex amentia recte suspicatus est Nissen. Neque minus ita delendum est de leg. agr. II 32, 87, ubi nescio an ex Africa repetitum sit: *Deleta Carthago est, quod cum hominum copiis tum ipsa natura ac loco, succincta portibus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere ita fructuosissimis insulis populi Romani videbatur.* Huius loci mentionem facio propter Zumpti minime probabilem coniecturam. Quod enim ille scribendum censet *imminere in fructuosissimas insulas*, haud facilis est trium vocabulorum immutatio, deinde hoc ne aptum quidem est. Nam imminere in aliquid est quasi corpore prono et intentis oculis aliquid speculari, ut prima occasione data tibi arripias: id quod praeter eos locos, quos Zumpt ipse affert, ostendit Liv. XXV 20, 5. XXIII 16, 3. XXX 28, 9. Tali modo Carthago, quo tempore Romani delendae eius consilium ceperunt, non insidiabatur Sardiniae et Siciliae. Sed ut orator apud populum neglecta veritate hoc dixerit: quia non avarus et augendi imperii cupidus Carthaginiensium animus, sed urbis situs describitur, quo propius aberat a Sicilia, quam ut tuta esset Romanorum possessio, imminere in insulas non convenit, atque veri simillimum est Ciceronem idem fere dixisse, quod de off. III 11, 46 *Hoc visum est utile, nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeo.**

Tusc. disp. I 10, 20 *Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse, verum numerum dixit esse.* Particulae *verum* hic nullum locum esse, recte docuit Wesenberg II p. 6. Potuit Cicero scribere aut *corpus negavit esse, verum numerum esse aut non corpus, verum numerum esse dixit; negavit — verum — dixit non potuit.* Iam si cum Bentleio et Wesenbergio scribis *corpus negavit esse verum*, illud *verum cum quasi corpus* coniunctum et per se languidum est, et sic a substantivo suo seiunctum et in fine enuntiationis collocatum est, ut abhorret a Ciceronis dicendi ratione. Itemque quae alii coniecerunt *negavit esse ullum*, vel *merum numerum dixit*, vocabulum addunt, quo carere malis. Mihi igitur *uerum* per dittographiam ex *numerum* factum esse videtur.

V 18, 52 *Hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, sed etiam serviet. At nos [autem] virtutem semper liberam volumus* cet. Et hoc loco *autem* ex praegressis repetitum est, et IV 6, 13 *Praesentis autem mali sapientis affectio nulla est. Stulti autem est aegritudo ea, qua afficiuntur in malis opinatis.* Nam *autem*, et quia paucis vocabulis ante positum est et quia aut nulla aut fortius adversantis particula desideratur, molestum est. Magis vero necessarium, quam quod Halm *annal. philol. et paedag.* 1855 p. 50 coniecit *stultorum est aegritudo*, videtur, ut *eaque afficiuntur* scribatur, quod Bake l. c. p. 99 coniecit, sed Baiter recipere noluit. Nam 'ea aegritudo' est id genus aegritudinis, Cicero autem omnino aegritudinem comparat cum immoto animi statu,

qualis sapientis est. Sensisse hoc videtur Tischer, qui sic hunc locum interpunxit *est aegritudo, ea qua cet.* Sed *is qui* pro simplici *qui* numquam ponitur, nisi aut relativa enuntiatio non ad unum aliquod vocabulum, sed ad totam enuntiationem pertinet, velut Tusc. disp. III 22, 54 *sed, id quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora,* aut id, quo pertinet relativum, disertius indicatur, hoc scilicet, non aliud intellegendum esse, quod tum demum fieri posse apparet, si relativa sententia, quid aut quale illud sit, definiat. cfr. Goerenz ad Cic. de leg. I 16, 44. Schoemann ind. lect. Gryphsw. 1850. Horum neutrum in hunc locum cadit, scribendum igitur est *eaque*.

Haud raro altera lectio, quae lineae superscripta erat, verborum ordini per *et* sive *vel* aut sine ulla coniunctione inseritur, cuius generis Goerenz ad Acad. I 12, 44 et II 17, 52 aliquot exempla collegit. Ex Tusculanis disputationibus praeter alia huc referenda sunt: IV 12, 28 *Ergo et invidi et malevoli, et lividi et timidi et misericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper ferantur.* Ciceronem *livendi* verbum et quae inde derivata sunt de invidia numquam usurpare recte docet Wesenberg I p. 23. Porro *lividi* post *invidi* supervacuum est et certe statim post *invidi*, non post *malevoli* poni debebat. Videtur igitur *lividi* altera lectio esse pro *invidi*. — IV 13, 30 *Est quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum curatione et perturbatione medicorum conturbatio mentis aufertur.* *Perturbatio* vocabulo *conturbatio* superscriptum fuisse iudico, quam ipsam sententiam, ut iam video, Baiter secutus est. Nam Lambini *et purgatione* non admodum elegans est, *et gubernatione*, quod deteriores codices exhibent, mala librarii coniectura est. *Philosophi pertractatio* quamquam apud Gellium V 1, 4 legitur, tamen num Cicero *pertractatio medicorum* dixerit, vehementer dubito.

Saepe librarii coniunctiones quasdam interposuerunt aut consulto, cum non coniunctas esse enuntiationes moleste ferrent, aut temere, cum in scribendo singulis vocabulis magis quam universae enuntiationis structurae intenti essent. Ita *autem* et *enim* saepe adiecta esse multis exemplis ei probant, quos Hand Turs. I p. 588. II p. 404 laudat: saepe *ut* haud recte insertum est, cum a verbo dicendi vel sentiendi enuntiatio pendet, librarius autem negligentior per parenthesin verbum regens interpositum esse putavit. Interdum *si*, *cum*, *nam*, pronomen relativum adiectum est, quod facile fieri nemo ignorat, qui ipse librum descripsit. Sed hos potissimum errores multi non librariis, sed Ciceroni ipsi tribuere volebant. At hoc teneamus: Quamvis neglegenter ille scripserit, id quod supra ostendimus, et saepe inceptam structuram contra leges grammaticas immutaverit, tamen aliqua aberrandi occasio data esse debebat, sive impeditior verborum comprehensio, sive enuntiationum per parenthesin interiectarum longitudo. Itaque facile quidem concedo eum I 30, 73 scripsisse: *Itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum, quem ipsum locum Bake* aliique correxerunt; sed quod eodem loco sequitur: *quod eis saepe usu venit, qui, cum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent,* librario quidem accidere potuit, ut illud *cum* insereret, scriptori, qui sciebat, quam cogitationem esset pronuntiaturus, nullo modo. Quare *cum* delendum est. — Itemque III 33, 79 *ut in causis non semper utimur eodem statu — sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accomodamus, sic in aegritudine lenienda [nam] quam quisque curationem recipere possit videndum est; nam* a librario, qui post *lenienda* interpunxit et praedicatum ex praegressis subaudivit, temere interpositum est. — II 26, 65 *Ergo animus, [qui] ut ego dico divinus est, ut Euripides dicere audet deus.* Cum divinum esse animum

Cicero magna argumentorum copia confirmaverit, Euripidis autem huc usque mentionem non fecerit, hoc loco, ubi summam facit argumentationis, illud *qui* nullo modo addere potuit, v. Weisenberg ad h. l. — III 18, 40 *Quod si cui — simul animus cum re concidit, a gravibus illis antiquis philosophis petenda medicina est, si non ab his voluptariis.* Davisius, quem editorum multi secuti sunt, scripsit *sed non ab his vol.* At particula *sed* Latini scriptores utuntur, cum aut praemissa quaedam negativa sententia corrigitur affirmativa, velut h. l. scribi potuerit 'non ab his voluptariis,' sed ab antiquis illis ph., aut affirmativa aliqua sententia altera sive corrigitur sive restringitur, velut si scribitur 'sententia probata illa quidem multis, sed non iure probata.' Contra ubi distinguitur, quid sit, quid non sit, id quod hoc loco sequente negativa enuntiatione fit, numquam *sed* ponitur. Itaque recte ab aliis *si* deletum est, quod nescio an ex *scilicet* a librario temere interposito factum sit. — V 22, 76 *alia autem — contingant, ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim?* In augurali dissertatione hoc ita defendi, ut ex Latinorum scriptorum usu interrogationem per *ut* praegressis adnexam esse vellem, sed id, quamquam etiam aliis me probasse video, falsum esse nunc ipse intellego. Habent enim haec verba *ea qui adeptus sit* cet. ἀπόδοσιν, cuius propositio in coniunctivis praecedentibus inest: 'mag man auch drei Arten des Guten annehmen, warum soll man den nicht für völlig glücklich halten.' Quare *ut* et hoc loco delendum est, et I 22, 50, cum ab intellegendi verbo non duplex interrogatio pendere possit, *aut si iam possent* ex Lambini emendatione scribendum.

His adiungo de nat. deor. II 57, 143 *Munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno coniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, utqui tamquam involuti quiescerent.* Sic etiam Baiter ex codicibus hunc locum edidit. Sed cum propter verborum collocationem tum propter ipsam sententiam fieri non potest, ut ad *somno coniventibus — egeremus* verbum praegressum subaudiatur *si quid incideret — repelleretur.* *Utqui* i. e. utpote *qui* sive *quippe* *qui* causam affert, cur quid fiat: sed verba *qui — quiescerent* nullam causam indicant, cur, si quid incidat, repellatur. Itaque potius Schoemanno assentiar *utque* scribenti. Anacoluthon autem, ad quod refugiunt in horum verborum interpretatione, eo minus ferendum est, quod longior enuntiatio interposita non est. Itaque *utqui* interpolatum mihi videtur. Deletis igitur his vocibus ablativum absolutum habes, quamquam eiusdem personae sunt ablativus et subiectum enuntiationis principalis. Sed cum duarum iuxta positarum et aequalium enuntiationum altera ablativi absoluti forma pronuntiat, eadem structura, quo magis perspicua sit membrorum aequalitas, in altera quoque enuntiatione adhibetur, quae per se posita aliam formam habere debebat. cfr. Haase ad Reisig. sch. p. 761. Caes. b. Gall. I 40 *Haec cum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus vehementer eos incusavit.* Suet. Tib. 31 *Negante eo (Tiberio) destinatos magistratus abesse oportere, — Praetor designatus liberam legationem impetravit. Iterum censente, ut concederetur, obtinere non potuit (Tiberius), quin rata voluntas legatoris esset.* Fortasse ipsa structura insolita atque impeditior, ut particula *utque* interponeretur, effecit. Et suffragatur quidem sententiae meae Isidor. Orig. XI 1, 39 *Munitae sunt autem vallo capillorum, ut et apertis oculis si quid inciderit, repellatur, et somno coniventibus tamquam involuti quiescant latentes.* Quo loco *latentes* natum est ex eo, quod sequitur apud Ciceronem, *latent praeterea* cet.

Plurimae interpolationes inde ortae sunt, ut quae ad interpretationem adscripta erant, verborum ordini insererentur. Ita IV 35, 74 *Sic igitur affecto* (i. e. cuius animus amore perturbatus est) *haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat quam leve, quam contemnendum,*

quam nihili sit omnino, quam facile vel aliunde vel alio modo perfici vel omnino neglegi possit: alio modo glossam sapit ad aliunde adscriptam, nam et supervacuum est et aequalitas membrorum, cum respondeat *vel omnino neglegi*, ut deleatur suadet. Sed ut taceam de eis locis, qui certissimi sunt, velut Seyffert V 26, 74 *praecepta fortitudinis*, Tregder et Herm. Sauppe I 16, 38 *honore recte deleverunt*, de aliquot locis disputaturus sum, de quibus adhuc sub iudice lis est.

V 25, 72 etiam Tischer codicum lectionem servavit: *Transeat idem iste sapiens ad rem publicam tuendam. Quid eo possit esse praestantius, cum contineri prudentia utilitatem civium cernat, iustitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus?* Idque sic vertit: Wenn der Weise sieht, dass durch seine Klugheit das Beste seiner Mitbürger begründet wird, wenn er vermittelt der Gerechtigkeit nichts für sich behält und ebenso die übrigen Tugenden praktisch anwendet. Sed Cicero secundum Stoicorum illud paradoxon, *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἀφικνέσθαι*, (Diog. VII 122) demonstrare vult aptissimum esse sapientem ad rem publicam administrandam. Itaque quem usum habeant singulae eius virtutes, exponit. Est autem prudentiae proprium, ut cernat, quid sit utilitas. Continentur autem utilitas civium cum ceteris virtutibus tum vero iustitia. Haec est enim virtus, qua societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continentur (cfr. de off. I 7, 20). Sed ut Cicero hic prudentia civium utilitatem contineri voluerit, certe scribendum erat: *Quid eo possit esse praestantius, cum prudentia eius civium utilitas contineatur.* Nam sapientis praestantia sive in eo inest, quod prudentia sua utilitatem continet, sive quod cernit, quae sit illa utilitas; quod vero sua prudentia utilitatem contineri cernit, in eo nec praestantiae quidquam inest, nec est hic usus virtutis. *Contineri* autem delendum esse suadet etiam proximi membri forma.

V 33, 94 Cicero postquam Epicurum ita cupiditates divisisse exposuit, ut partim eas naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim nec naturales nec necessarias diceret, sic pergit: *Hoc loco multa ab Epicureis disputantur eaeque voluptates singillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen copiam.* Nam et obscenas voluptates ceter. Bentley et Madvig, quia nec *extenuantur* et non *contemnunt* nec non *contemnunt* et *quaerunt tamen copiam* recte inter se opponi videntur, corruptum esse hunc locum censuerunt, et alter sive *spernunt tamen copiam* sive *non quaerunt t. c.* scribere, alter *non ante contemnunt*, ut ex *con* natum, delere voluit. Sed non refutatam esse hac ratione eam, quam Orelli proposuit loci explicationem, recte viderunt Kuehner et, qui eum secutus est, Baiter. Verba enim *quarum genera non cont.* ita interposita esse possunt, ut quae sequuntur *quaerunt t. copiam* non his sed eis, quae praecedunt, *singillatim extenuantur* respondeant, ut haec sit sententia: etsi Epicurei eas voluptates, quarum genera ipsa non contemnunt, singulas extenuant, tamen singularum voluptatum multitudinem ita quaerunt, ut ex eis perpetuitas quaedam voluptatis existat. Sed nec perspicuam et admodum impeditam esse hanc structuram, si verba *quarum genera non cont.* per parentheses interposita cogitare debemus, nemo negare potest: idque eo magis, quod etiam forma illud *quaerunt t. copiam*, quia per activum pronuntiatur, non primae enuntiationi *singillatim extenuantur*, sed ei quam interiectam esse voluit, convenit. Tum vero quae sunt illa genera voluptatum, quas Epicurei aut contemnunt aut non contemnunt? Baiter *τὴν ἡδονὴν*, quae ex Epicuri doctrina summum bonum est, significari putat. Sed hanc Cicero 'genus universum voluptatis' dicere potuit, contra ubi de compluribus generibus loquitur, quarum singulas voluptates illi extenuent, tacite significans esse alia genera, quae contemnunt, de voluptate universa eum non cogitare manifestum est. Immo quae de obscenis voluptatibus, de magnificentia sumptuque

epularum deinceps dicuntur, ostendunt eum id genus, quod secundum Epicurus constituerat, respicere. Hoc autem genus Epicurei contemnebant, utpote quod nec ad victum necessarium esset, nec beatitudinem ipsam augetet. cfr. Diog. X 128. Neque tamen sufficebat, quam hoc genus voluptatum supervacuum esset, argumentis demonstrare, singulas leves et contemnendas esse ostendebant, ut Stoici (Tusc. III 34, 82) et universam aegritudinem sustulerunt et proprias singulorum dolorum consolationes habebant. Nihilo minus tamen Epicurei etiam harum voluptatum copiam quaerebant, nam fruebantur eis, cum minore dolore et molestiis parare eas licuit. Itaque non ante contemunt delendum est.

III 2, 3 *Ad quam (gloriam) fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirat, in summa inanitate versatur, consecatur nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa non adumbrata.* Plena atque arguta Graseri (Progr. Guben. 1844) disputatio etiam Baiterum commovit, ut vocabulo *virtutis* post eminentem effigiem, quod post Bentleium plerique expulerunt, locum concederet. Et sane non negandum est licuisse Ciceroni gloriam dicere imaginem virtutis, ut infra dixit: *ea (gloria) virtuti resonat tamquam imago*; sed non dicere potest illos sequi nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae, ita ut alter genitivus, *virtutis*, rem significet, cuius effigies expressa est, alter, *gloriae*, eam ipsam rem, quae imago est. Hunc genitivum epexegeticum appellavit Madvig ep. ad Orell. p. 79, eiusque cum plurima exempla facile inveniantur, satis est commemorasse I 15, 34 *mercedem gloriae flagitat*. III 16, 35 *Qui quod a natura datum est auxilium extorqueas inveterati doloris*. Sic autem genitivum *gloriae* explicandum esse patet. Et ipse Baiter sensisse hanc difficultatem videtur, dubitat enim, an genitivus *gloriae* interpolatus sit. Deleto igitur hoc vocabulo ad *imaginem* subaudiendum est *virtutis*. At falsam illam gloriam Cicero ne adumbratam quidem imaginem virtutis vocare potuit, quippe quae nec virtutis comes sit, nec pariatur honestis factis, sed fictis sermonibus et adulando plebem. Contra Graser etiam priorem illum genitivum *virtutis* pro epexegetico habet, sic enim locum interpretatur: 'sectantur non *virtutem*, cuius expressa et eminens est effigies, cuius veram vim esse sentimus ac divinam, sed popularem *gloriam*, cuius nulla est eminens effigies, sed adumbrata imago.' Sed falsam esse hanc explicationem clamat, quod in eis, quae secuntur, non virtus, sed gloria solida quaedam res esse definitur. Neque quidquam efficit Graser, quod tantam esse dicit virtutis et gloriae coniunctionem et confusionem, ut neutra ab altera seiungi ac divelli queat. Nam cum virtus et gloria, ut hoc loco fit, inter se opponantur, et duo gloriae genera distinguantur, non virtutis nomine pro gloria Cicero uti potest. Itaque cum nec Baiteri nec Graseri explicatio satisfaciatur et *virtutis* vox sententiam perturbet, eam ab interpolatore haud recte, quid sententia postulet, intellegente adiectam iudico.

Iam ad alterum genus progrediens eis de locis disputaturus sum, quibus non singula quaedam verba, sed singulae pluresve enuntiationes Ciceronis verbis adiectae sunt. In rhetorum enim scholis cum et res tractatae et verba explicarentur, sententiae paulo aliter conformarentur, quae ad legem aliquam rhetoricam illustrandam apta erant, etiam amplificarentur, harum annotationum quaedam in textum vel optimorum codicum receptae sunt. Qua de re Madvig opusc. I p. 148 et 342 disputat, cui etsi de singulis exemplis omnibus, quae affert, non assentiaris,

tamen de genere universo eum recte egisse non negaveris. Ac maxime memorabile huius generis exemplum Tusc. disp. I 42, 101 legitur, quem locum, quamquam post Bentlei et Wesenbergi disputationes haud multum novi, quod adiciam, habeo, tamen paucis commemoro, quo facilius cetera fidem inveniant. Haec igitur leguntur: *Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedaemonii, hodie apud inferos caenabimus. Fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges vigeabant. E quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: Solem prae iaculorum multitudine cet.* In his igitur, quin ἀριστᾶτε vel ἀριστοποιεῖσθε, quod apud Graecos scriptores hoc dictum commemorantes extat (v. Plut. apophth. Lac. 13. Suid. s. v. Λεωνίδας. Stob. serm. VII 91 Aelian. v. h. III 25), cum ἀριστεύειν confusum sit, vix est dubium, sed Ciceronem prave interpretatum esse locum celeberrimum nemo credet, qui illum Graeci sermonis peritissimum fuisse meminit. Quodsi scribitur *prandete animo forti*, ut nonnullis visum est, inepta et ridicula est illa prandendi fortitudo. *Prandete, o fortes Lacedaemonii*, quod alii probarunt, cum a codicum scriptura nimis alienum est, tum illud *o fortes Lac.* languidius dictum videtur. Alii igitur, ut Funkhaenel Philol. III p. 149, Ciceronem graecam sententiam prandii commemoratione omissa liberius vertisse arbitrabantur, ut per illud *pergite* rex universe milites ad fortitudinem excitaret. Sed pergendi verbum non usurpatur, nisi cum, quid facere perrecturi sint, aut per se perspicuum sit aut addatur. Tum vero acumen sententiae pessum datur, si prandisse illos aequo animo, quamvis apud inferos se caenaturos scirent, non commemoratur. Et alia sunt, quae interpolatum locum esse manifestum reddant. Generalis illa sententia *Fuit haec gens fortis cet.*, quae conclusionem facit ex exemplis allatis, saltem in fine eorum, non ante *e quibus unus cet.* collocari debebat, tum fortitudinis laudem, quam his verbis Cicero prioris tantum aevi Lacedaemoniis concedit, proximi capituli initio ne sui quidem temporis Lacedaemoniis derogat (cfr. II 14, 34), deinde non *gens* sed *populus* vel *civitas* ex constanti usu dixisset. Porro qui potest commemorare ducem Leonidam, cum paulo ante duces se non amplius nominaturum dixerit? Postremo illud *e quibus* per grammaticas quidem leges cum praecedenti nomine *gens* coniungi licet, sed antea, qualis fuerit universa Lacedaemoniorum civitas omni ea, qua Lycurgi leges vigeabant, aetate, dictum est; relativum contra ad eos Lacedaemonios pertinet, qui in Thermopylis pugnaverunt, ut multo rectius eliminato glossemate cum *patri animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt* coniungatur.

Eadem est ratio loci, qui I 35, 86 legitur. Non lugendum esse disputatur, si quis praematura morte abripiatur, cum incertum sit, num bonorum plus an malorum ei morte ademptum sit. Itaque Priamus commemoratur, deinde Pompei mentio fit, qui cum anno quinquagesimo a. Chr. n. Neapoli aegrotaret, si esset extinctus, a bonis rebus, non a malis discessisset. Sic igitur Cicero: *Certe a miseris. Non enim cum socero bellum gessisset, non imparatus arma sumpsisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum ferrum et manus incidisset, non liberi defleti, non fortunae omnes a victoribus possiderentur.* Commemorata misera et inhonesta Pompei morte, sententia ad finem perducta est, neque minus verborum comprehensio, si ad numerum orationis attendis. In anaphora enim, postquam aliquot minora membra posuit, verborum complexionem Cicero concludere consuevit longiore membro adiecto, numquam autem longius illud membrum pauca minora denuo excipiunt. Deinde quod apud *defleti* omissum est *essent*, a Ciceronis dicendi consuetudine prorsus alienum est (v. Wesenberg II p. 25. Haase ad Reisig. p. 799 an. 609. Madvig § 479, a.). Neque quidquam efficiunt, qui I 37, 90 afferunt: *at id ipsum odiosum est, sine sensu esse. Odiosum, si id esset carere: ubi esset ex praecedenti est* subauditur, quod quidem tum potissimum fit, cum universae sententiae argumentum uno

verbo comprehenditur (v. Madvig § 479 an. 2.)*) Praeterea deflevisse Pompeium liberos quod commemoratur, postquam in servorum manus eum incidisse iam dictum est, nonne cum omni sermonis concinnitate pugnat? Ac ne deflevit quidem liberos, quorum Gnaeus tribus fere annis post pugnam Pharsalicam in Hispania occubuit, Sextus etiam decem fere annos, postquam Cicero has disputationes edidit, vita utebatur. Hac igitur de causa multi *non liberi deleti* scripserunt. Sic Cicero Sextum Pium omnino neglexit et per liberos deletos Gnaeum solum significavit. At cum ille demonstraturus sit tempore Pompeium moriturum fuisse, si Neapoli morbo succubisset, ea tantum enarrare licet, quae Pompeius ipse perpessus est, quaeque effugisset, si antea esset mortuus, non quae post mortem patris filiis acciderunt. Hi enim, etiamsi pater antea mortuus esset, malis obrui poterant. Illa vero *non fortunae omnes a victoribus possiderentur* prorsus inepta sunt. Nam haec ipsa post mortem Pompei evenerunt, ut ea expertus non sit. Tum qui scire potest Cicero, cuius in potestatem bona illius ventura fuerint, si ille antea occubisset. Postremo quae secuntur: *qui si mortem tum obisset*, ut apta sunt ad *non — incidisset*, si illa *non liberi defleti — possiderentur* interposita sunt, enuntiationis formae non conveniunt.**)

Harum igitur interpolationum cum causam nullam videam, nisi quod in rhetorum scholis discentium in usum Ciceronis verba amplificarentur, multo saepius aliquae enuntiationes illustrandi et explicandi causa adiectae sunt. Et primum quidem exempla a Cicerone allata ab interpolatoribus aucta sunt: quod quidem tum factum esse facile perspicitur, cum ea, quae adiecta sunt, aut numerum orationis perdunt, aut per se falsa et inepta sunt. Velut Tusc. disp. I 9, 19, ubi Cicero varias de animi natura sententias enumerat, hoc legitur: *Animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarat nomen: nam et agere animam et efflare dicimus et animosos et bene animatos et ex animi sententia.* In codicibus est *nostri declarant nomen*, quod omni sententia cassum est. Sed ut III 5, 11 dicitur *quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat* et III 27, 64 *res declarat* (v. Philip. V 14, 43. XII 10, 24), sic hoc loco *declarat nomen* sc. animae, quod cum ab *ἄω, ἄγω* derivandum sit et proprie aera significet, eadem vi usurpatur, qua animus.***) Iamque animam ab Romanis pro animo dici duobus exemplis Cicero probat. Quae autem secuntur *et animosos* cet. nihil probant, cum in eis animae ne commemoratio quidem fiat. Neque magis *animum* sic dici ostendunt, quod ne opus quidem erat ostendere, quia et proprie animus sic dicitur et illico sequitur *ipse autem animus ex anima dictus est*. Sane dormivit, quicumque haec adiecit, Cicero delirasset, si his exemplis usus esset, quare Orelli minime probandus est, qui Ciceroni potius quam librario *λογικὸν ἀνάστημα* imputavit. — Similis est locus III 4, 8 *id est insanitatem* cet., de quo infra dicendum erit, et de nat. deor. II 28, 72 *sunt dicti religiosi ex relegendo [ut elegantes ex eligendo] itemque ex diligendo diligentes, ex intellegendo intellegentes*, de quo v. Philol. XV p. 685.

*) Itaque etiam ad fam. IX 6, 3 *scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus et ducum interitu, tum vero extremum malorum omnium esse* cet. Orelli Lambinum sequi debebat pro *quam* scribentem *cum*. Ac de leg. agr. II 33, 91 *Non contentione, non ambitione discordes, nihil enim supererat, de quo certarent* Zumptio omissum erat post *discordes* non ferenti assentior: quamquam quod ille suo codice Lagomarsiano ferox verba *non contentione — discordes* eiecit, non probo, scribendumque iudico *discordabant*.

**) Iam Baiterum video, cum verba *non liberi defleti* uncis includat, rectam sanandi loci viam instituisse quidem, sed non persecutum esse.

***) Bake l. c. quid velit Cicero non declarari nomine sed locutionibus eis, quae subiciantur, iudicat; itaque scribi iubet: *ut fere nostri declarant: nam et agere* cet. Quod nimis argutum ideoque falsum videtur, nam nomen *animae*, quod pro *animo* usurpatur, illud declarat, et sic usurpari hoc nomen nisi locutionibus demonstrari non poterat.

Iam ad illustrandam sive rem aliquam sive sententiam enuntiationes interpositas esse aliquot exemplis ostendam. I 22, 52 *hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere.* Wesenberg l. c. I p. 2 rectissime perspexit scribendum esse: *non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo*, glossema vero esse sc. *hoc se ipsum posse cognoscere.* cfr. de fin. V 16, 44 — Tusc. disp. V 9, 24 *In eo etiam putatur dicere in rotam [id est genus tormenti apud Graecos] beatam vitam non ascendere*, quo loco verba seclusa desunt in codicibus nonnullis, in Parisino linea subducta tamquam spuria notantur. IV 7, 16 *voluptati (subicitur) malevolentia lactans malo alieno, delectatio, iactatio et similia.* Quia in hac perturbationum enumeratione et divisione nullo loco additur definitio, atque ut cetera ita malevolentia deinceps describitur (v. 9, 20), eis accedere non dubito, qui hanc quoque definitionem, quae ne satis distincta quidem est, *lactans m. alieno*, suppositam iudicant, quamquam glossema iam in Noni codicibus fuisse videtur, qui sub voce *lactare* p. 16 ex Tusculanis affert *malivolentia lactans malo alieno.* V 3, 7 *Itaque et illos septem [qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur] et multis ante saeculis Lycurgum — et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus fuisse et habitos esse sapientes.* Recte H. Sauppe conj. Tull. p. 8 Gotting. 1859 verba unciis inclusa glossema esse iudicavit. Nam stolide eruditionem ostendat, qui σοφοίς Graecorum a Romanis sapientes esse nominatos monet. Et septem illi etiam Ciceronis aetate sapientes habiti et nominati sunt, quare imperfectum inoportunum est, tum vero relativa enuntiatione interposita haec prorsus inepta sententia fit: *illos septem, qui sapientes et habebantur et nominabantur, accepimus fuisse et habitos esse sapientes.* Fontem glossematis habes § 8 *a quibus ducti deinceps omnes — sapientes et habebantur et nominabantur.* cfr. de off. III 4, 16.

I 1, 3 *Annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus anno ante natum Ennium [qui fuit maior quam Plautus et Naevius].* Hoc de loco postquam cum alii tum Ritschl parerg. Plaut. I p. 48 s. recte egerunt, Wesenberg nuper l. c. II p. 1 additamenti patrocinium suscepit, in eoque totam argumentationem consistere iudicavit. At Cicero hoc loco non demonstraturus est Livium antiquissimum esse poetarum Romanorum, sed ut ostendat, quanto serius apud Romanos quam apud Graecos poetae cogniti et recepti fuerint, Homero, Hesiodo, Archilocho Livium opponit, quem antiquissimum esse poetarum Romanorum quin legentibus notum sit, non dubitat et alio loco exposuit. Itaque ne addit quidem eum *primum* fabulam dedisse, quod universus sententiarum conexus per se docet. Quod vero eum anno ante natum Ennium fabulam docuisse addit, sive temere factum est, cum in rerum historicarum commemoratione Cicero his rebus ipsis delectatus saepe adiciat, quae ad sententiam demonstrandam minime pertinent, sive significaturus est se Attici aliorumque, non Acci temporum rationem sequi (v. Brut. 18, 72). Quae autem Wesenberg affert exempla pronominis ad nomen remotius illud quidem, sed de quo tum maxime agatur, relati, eius modi sunt, ut partim genus relativi partim sententia ipsa, quo referendum sit pronomen, satis patefaciat. Velut I 30, 74 *tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est: quin idem ad Platonem pertineat, nemini dubium esse potest, neque minus quin § 75 quo cum venerimus referendum sit ad remotius illuc ex his vinculis emissi feremur.* Eademque ratione, ut alia omittam, II 16, 37 *arma enim membra militis esse dicunt, quae quidem ita geruntur apte, ut — expeditis armis ut membris pugnare possint nemo relativum cum nomine membra iunget.* Contra hoc loco molestissima esset ambiguitas, si *qui fuit maior* ad remotius nomen *Livi*

referendum esset. Fontem denique glossematis habes Brut. 18, 72 *Atqui hic Livius primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso ante, quam natus est Ennius.* — *In quo tantus error Acci fuit, ut his consulibus quadraginta annos natus Ennius fuerit, cui si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ei, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius.*

Sed strictim affero locum, qui temere pro interpolato habitus est: Acad. II 32, 104 *Quae cum exposuisset, adiungit dupliciter dici assensus sustinere sapientem, uno modo, cum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli adsentiri, altero, cum se a respondendo, ut aut approbet quid aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid neque aiat.* Verba *ut aut approbet — improbet* cum Grutero, Goerenzio, aliis eicienda viderentur, C. Fr. Hermann (Philol. VII p. 473) ea sana esse alterumque *ut a respondendo*, alterum a *sustineat* pendere iudicavit. Id vero qui fieri possit, non intellego, itemque Halm reiecta Hermannii sententia Gruteri coniecturam probavit. Sed quod Carneades censuit sapientem dupliciter assensum sustinere, nitebatur in ea, quam Cicero § 99 exposuit, visorum divisione. Duo enim genera visorum ille constituit, in uno sunt ea visa, quae percipi possunt et quae non possunt, in altero ea, quae probabilia sunt et quae non probabilia. Quia autem nullum visum tale est, ut certa ea scientia, quam perceptionem ille nominavit, consequatur, omnino nulli viso sapiens assentietur. Contra si specie probabile quid occurrerit, neque quidquam se obtulerit, quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens, probabit igitur, sed ita, ut affirmandi temeritatem vitet addatque in respondendo 'aut etiam aut non.' Scribendum igitur hoc loco lenissima mutatione censeo: *ubi aut approbet quid aut improbet.* Sed necessaria haec verba esse videntur, quod eis potissimum indicatur, qua re secundum assensus sustinendi genus a priore differat, cum ne in priore quidem sapiens aut aiat quid aut neget.

Sed redeo ad Tusculanas disputationes. Hae in scholis legebantur atque, quae ad philosophiam pertinent, discipulis explicabantur. Itaque ubi paulo longior et contortior argumentatio maxime ex Stoicorum disciplina desumpta a Cicerone exponebatur, quasi summa argumentationis, id, quod demonstrandum erat, margini adscribebatur, adscriptumque nonnullis locis in verborum ordinem receptum est. Id ipsum in libris de officiis factum vides. Velut II 9, 32 *ac primum de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae praecepta videamus, quae quidem capitur beneficiis maxime, secundo autem loco [voluntate benefica benevolentia movetur], etiam si res forte non suppetit, vehementer amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis beneficentiae, iustitiae fidei cet.;* verbis, quae uncis inclusimus, Sauppe l. c. argumentum loci indicari recte perspexit. Ib. III 5, 24 verba *Detrahere autem de altero sui commodi causa magis est contra naturam quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem* a Fleckeisenio monitus uncis inclusi. Hanc enim ipsam sententiam Cicero proponit in principio universae argumentationis § 21 et repetit in fine § 28, eamque ita argumentis confirmat, ut primum neglecto hoc praecepto tolli convictum humanum et societatem, deinde ut secundum naturam humanam magis esse excelsitatem animi et magnitudinem quam voluptatem, vitam, divitias ostendat. Qui igitur id ipsum, quod argumentis comprobare studet, pro argumento afferre potest? Atque si quis per negligentiam scribendi hoc excusare velit, is simillimos Tusculanarum disputationum locos comparet, quibus generale illud praeceptum, de quo disputatur, ita est repetitum, ut universus sententiarum conexus turbetur.

In tertii libri initio in sapientem cadere aegritudinem non posse, quia tribus principalibus virtutibus, fortitudini, sapientiae, temperantiae repugnet, Stoicorum argumentis nisus Cicero disputat. Sic igitur 7, 14 argumentatur: *Qui fortis est, idem est fidens. — Qui autem est fidens, is profecto non extimescit, discrepat enim a timendo confidere. Atqui in quem cadit aegritudo, in eundem timor. Quarum enim rerum praesentia sumus in aegritudine, easdem impendentes et venientes timemus. Ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet. Verisimile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quidem animi et demissionem. Quae in quem cadunt, in eundem cadit, ut serviat, ut victum, si quando, se esse fateatur. Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non cadunt autem haec in virum fortem, igitur ne aegritudo quidem. Summa argumentationis est 'ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet,' quam ipsam Cicero aliis verbis in fine pronuntiat: non cadunt autem cet. Quod si eandem sententiam iam ex prima argumentationis parte efficere potuit, omnia, quae sequuntur, supervacua et inania sunt. At fortitudini aegritudinem repugnare, inde, quod easdem res, quarum praesentia sumus in aegritudine, impendentes et venientes timemus, concludi non potest, nisi media quaedam argumentationis membra animo supplemus. Proprium est autem huius formae syllogismi, ut nihil legenti suppleendum permittatur, ut quasi necessario alterum ex altero conficiatur. Tum vero per *atqui* altera syllogismi pars sive assumptio inducitur, et quae subsecuntur *quarum enim rerum praesentia — infractionem quidem animi et demissionem* hanc assumptionem fusius explicant et argumentis stabilunt. Itaque Cicero id, quod probare voluit, in mediam assumptionem inclusisset. Denique *verisimile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem*, neutiquam colligitur ex *itaque fit, ut fortitudini aegritudo repugnet*, sed ex eis, quae praecedunt. His igitur de causis verba *ita fit — repugnet* pro glossemate habeo.*

IV 37, 80 *Et si fidentia, id est firma animi confisio, scientia quaedam est et opinio gravis non temere assentientis, metus quoque est diffidentia expectati et impendentis mali; et si spes est expectatio boni, mali expectationem esse necesse est metum. Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo. Ergo ut constantia scientiae, sic perturbatio erroris est. Cum Peripatetici perturbationes arbitrarentur esse non voluntarias, utiliter a natura datas, neque vituperandas, nisi immoderatae essent, Stoici contra eas iudicio tantum susceptas, prorsus extirpandas, ad nullam rem utiles affirmaverunt. Omnis autem controversia in eo vertebatur, num perturbationes naturales essent, an positae in opinione de rebus, quae aut appetendae aut fugiendae viderentur nec revera essent. Est autem opinio imbecilla sive temeraria assensio, *δόξα ἀσφαλῆς καὶ ψευδής*, cui opponitur scientia, id est *ἀσφαλῆς καὶ βεβαία καὶ ἀμετάθετος ὑπὸ λόγου κατάληψις*, in eaque positae sunt virtutes et constantiae (Stob. ecl. II p. 102. 160 s. Cic. Acad. I 10, 39. Tusc. disp. III 11, 24. 29, 71. 31, 74. IV 7, 14 s. de fin. III 10, 35. Diog. VII 111 cfr. Zeller hist. philos. gr. III p. 132 s.). Itaque Cicero hoc loco postquam naturales esse perturbationes refutavit, duobus argumentis eas in opinione esse positas demonstrat: primum quia ex falsa rerum aestimatione oriuntur; deinde si constantiae, quae oppositae sunt perturbationibus, scientiae sunt, perturbationes quoque, quia eiusdem generis sunt, si non in scientia, at in opinione positae esse necesse est. Atque id ipsum ut probet, metus exemplo utitur, ab eoque de perturbatione universa coniecturam facit. Haec qui reputaverit, in verbis *metus quoque est diffidentia expectati et impendentis mali* quin mendum lateat, non dubitabit: quod quidem minime sanatur, si cum Davasio *diffidentia quoque est metus expectati — mali* scribis. Nam primum illud *quoque* quo modo explicandum sit, non patet; falsam enim esse Tischeri rationem, qui metum iracundiae*

opponi iudicat, satis apparet, quae sit sententiarum conexio, examinanti. Deinde diffidentia quae sit, de invent. II 54, 163 ostendit: *fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus, multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit.* (§ 165) *fidentiae contrarium est diffidentia et ea re vitium est: audacia non contrarium, sed oppositum est ac propinquum et tamen vitium est.* Diffidentia igitur est nostrum 'Kleinmuth, Mangel an Selbstvertrauen,' et diffidentia alicuius rei eadem ratione dicitur, ut difidere alicui rei, 'Misstrauen gegen etwas.' Suet. Oth. 9 *nec statim moriendi impetum cepit, ut multi nec frustra opinantur, magis pudore — quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum.* Plin. ep. 5, 1, 7 *Coheredes — transigere cupiebant, non diffidentia causae, sed metu temporum.* Itaque vix cogitari potest *diffidentia mali expectati et impendentis*, minime vero hoc loco *metus* sic definiri. Contra sententia flagitat, ut *metus* dicatur opinio expectati et impendentis mali. cfr. III 11, 25 *metus opinio magni mali impendentis.* Quare aut scribendum est: *metus quoque* (sc. ut *fidentia*), *id est diffidentia, est opinio expectati et impendentis mali*, aut, ut supra demonstravimus glossemata interdum genuina verba loco suo exturbasse, sic h. l. *diffidentia* vel, quod in codicibus est, *defidentia* glossema est, scribendumque *metus quoque est opinio exp.* cet. Moserum quidem, qui consulto fortasse Ciceronem neglegentius et obscurius scripsisse opinatur, ridere debemus. — Sed nondum omnia recte se habent. Verba ut igitur *metus* sic reliquae *perturbationes* sunt in malo eicienda sunt. Nam sententia ipsa non vacat offensione, quia ambigue nec satis definite pronuntiatur: dicendum erat *sunt in vitio* vel *vitiosae*, ut 7, 14 *Itaque eas definiunt pressius, ut intellegatur, non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate.* Tum vero si spes expectatio boni, *metus* mali expectatio est, quis inde continuo concludere potest, *metum* reliquasque *perturbationes* esse in malo? Quid porro attinet ex hac generali sententia concludere *perturbationem* esse erroris. Contra omissis his verbis optime colligitur, ut *fidentia* scientia quaedam, et *metus* opinio sive expectatio sit, ita omnem constantiam scientiae, omnem *perturbationem* erroris esse. Recte iam Wesenberg III p. 14 verba *ut igitur — sunt in malo* si delerentur, nihil desiderari ideoque haec eicienda esse intellexit.

